



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 20. Cuiam res debetur, dum fuit duobus seccessivè vendita?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

Q. 20. *Cuinam res debetur, dum fuit duobus  
successive vendita?*

*Resp. Ex communi*, si res neutri tradita sit, debetur priori emptori: quia res illa non poterat vendi alteri sine injuria prioris emptoris, qui jus ad illam prius habet, l. 26. ff. *locat.* Si verò res tradita sit secundo emptori; hujus est, quia per traditionem acquisivit ejus dominium, l. 15. *Cod. de rei vindict.* priori autem competit solum actio in venditorem, ut vel rescisso secundo contractu rem sibi tradat, vel compenset interesse: nam secundum leges solo contractu sine traditione non acquiritur dominium.

Excipe nisi res vendita, vel donata sit civitatibus, aut Ecclesiis, vel piis causis: nam per solam emptionem, aut donationem, ante traditionem acquirunt dominium. Potest tamen prior emptor rem evincere à posteriore, si hic emit mala fide, hoc est, sciens rem jam esse alteri venditam. Imò hic posterior tenetur spontè rem priori tradere, recepto pretio, si impulerit venditorem ad sibi iterum vendendum, sciens rem jam esse alteri venditam: quia violat jus prioris emptoris, & est causa injusta venditionis, & damni inde secuti; unde tenetur injuriam à se illatam tollere, & resarcire.

*Not.* Hoc idem procedit in aliis contractibus, v. g. in locatione: nam si secundo conductori res locata tradita fuerit, is præfertur

Ll 2

priori:

priori: quia habet tunc rei detentionem, à qua expelli non debet.

*Q. 21. An Monopolia licita sunt?*

*Not.* Monopolium propriè est, cùm unus, vel pauci efficiunt ut merces certas vendant, emantve soli, vel etiam plures inter se conveniunt, ut merces aut operas non vendant, nisi certo pretio. Non agitur hic de monopolio latè sumpto, seu factò auctoritate publicà, cum scilicet unus vel pauci facultatem à Principe obtinent, ut ipsi soli certas merces vendant: nam patet hoc esse licitum, si fiat ob justam causam, & justo pretio: quia hoc interdum postulat bonum commune, ne scilicet deseratur rerum aliquarum negotiatio, vel artificium: sunt enim aliquæ merces, quæ sine magnis sumptibus comparari nequeunt, quos sumptus ob damni periculum nemo vellet in se suscipere citra privilegium, ut solus venderet, ut liquet in librorum impressione. Præterea id potest Princeps, cùm ipsi necessaria est pecunia ob bonum commune; sed tunc moderatè taxari debet pretium illarum mercium, præsertim si sint communiter necessaria ad commodè, civiliterque vivendum: nam aliàs daretur occasio privatis alios pro arbitrio gravandi, magnòque damno affiendi.

*Resp.* Quælibet Monopolia auctoritate privata